DE

SERENISSIMO PRINCIPE HISPANIARVM RECENTER NATO

GENETHLIACON.

D. DIDACI CENTVRIONI

Habita ab eodem in Collegio Rom. Soc. Iesu.

AD ILLVSTRISSIMVM ET REVERENDISSIMVM D.D. ANTONIVM CARD. ZAPATAM.



ROMÆ, Typis Bartholomæi Bonfadini. M D C V.

SVPERIORVM PERMISSV.

Sumptibus Laurentij Sforzini in Arcu Camigliano.




ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO

D. D. ANTONIO
CARDINALI ZAPATÆ

IOANNES DOMINICVS SFORZINVS

F.



Carmen hoc Genethliacum de Serenissimo Hispaniarum Principe recenter nato pro mea in te obseruantia, Princeps Illustrissime, si Tibi inscriberem, vt optimum factu, ita etiam debitum plane iudicaui. Videram enim nuper, quanta Romæ cum gratulatione, potentissimi Principis Natalem diem exceperis: noueram quæ tibi cum tanto esset Rege coniunctio, quæ beneuolentia. itaque non absre fore censui, si hoc etiam Carmen te Patrono prodiret in lucem, qui eius Natalem in cuius laudem conscriptum est, tanta animi significatione complexus fueris. neque enim is eram, qui hoc à te contendere possem, nisi & res ipsa hoc postulare, & tua omnibus nota facilitas, atque etiam cum infimo quoque humanitas, videretur. ad extremum licet non ausim à te petere vt me in tuorum numerum adscribas, certe ausim à Deo Opt. Max. enixe postulare vt eam tibi felicitatem tribuat, quæ generi isti nobilissimo, gloriæ, splendori, optimo vitæ instituto, communi omnium consensione debetur. Vale. Dat. Rom. viij. Idus Iulij. MDCV.

GENETHLIACON.

ASpice? iam cælum geniali luce coruscat,
Gratia fœcundo distillat gaudia riuo,
Festiuo resonant cœli laquearia cantu,
Lustratusque nouo collucet lumine mundus,
Nascere Magne Puer mundi iustissima cura,
Talia sit tecum diffulgent gaudia terris.
Deliciæ humani generis Puer inclyte, redde
Spem populis, matrique decus, columenque parenti,
Credo equidem, antiquum seruabis nomen auorum,
Atque atauis similis patribus splendebis in armis,
Magne Puer, generose Puer, cape munera lucis,
Ingredere antiquis regnatum patribus orbem,
Et gentis nomen, numerumque reuise tuorum,
Aspice iam fines terræque marisque subactos,
Exple terrarum summis natalibus oras,
Grandiaque immensis populorum perfice vota.
Quæcunque ambit terræ tractus pontique meatus,
Seu riget inculto, colitur seu tramite Zona,
Natali famulata tuo tibi diuidit orbem,
Et nullo Imperij distinguit limite fines.
Sed iam nunc assuesce precor famularia mundi
Dona puellari captare manu, vndique cunis
Officiosa tuis, submittit munera tellus.
Aspice vt auroræ tepefactus lumine primo
Oceano madidus, solisque ardentis alumnus
Sub fusco lætus vultu nigroque capillo
Indus, cui centum sinuata volumina giris

Tempora, tueritos prætentant vertice crines;
Hinc humeros pharetra, inde arcus, pallaque decorus
Talari, laterum iuncturas circuit orbis
Intextus, rutiloque rigens auro, atque hyacinto:
Cælatum signis diadema rigentibus offert;
Et rutilis nitidum gemmis fuluisque lapillis:
Qua fuluos nectit crines cunabula nati
Zona refert: radiante notis, & arata rigescunt
Arma auro, clypei, vexilla, aquilæ, æra, tubæque,
Stemmata, & antiquis populorum nota figuris,
Inclita gestarum peperit, quæ gloria rerum.
At nunc cerne puer postremi littoris, oro,
Munera, longinquis qua se sol abluit vndis
Oceanoque ruens nitidissima lumina condit
Vesper, & occiduo late iactantior orbe
Stellarum relegit fortunatissimus agmen,
Et Zephyro vaga rura nitent contenta colono:
Accola Tartessi noctique propinquior Aspis.
Tantas in cunas operosus, munere cunas
Dedicat; inclusum has ebori subdiuidit aurum:
Et belle in puro lucet velamine pallor:
Hic distincta nitent summorum facta parentum,
Atque suas opifex clades distinguit in auro:
Se gaudet vinctum Hispanis spectarier armis,
Et fictis cohibere manus sub vincula nodis.
Hic peritura manus regum religata catenis
Ducitur ad funus, iuuenum quos terga reuinctos
Horrendum stridens agmen comitatur ouantum,
Exuuijs onerant currus decorantq; quadrigas,
Raptaq; diffulgent sæuis ex hostibus arma,
Armati splendent generoso milite campi,

Signaq; flante Noto tenues sinuantur in auras.
Italus at mundi decus aureus orbis ocellus,
Lætitiæ in partem properus sua munera iactet;
Qualia non melius cœlo indulgente venirent,
Ficta manu diuum superumq; expressa labore.
Parthenope imprimis, qua non formosior orbe
Tellus, perdormito dat iura mari, atq; superbo
Ambitiosa sinu lunatis incubat vndis:
Blanda mihi Syren, mihi iucundissima Syren,
Exere littorea caput vnda, solue canoros
Voce modos, tenues mulce concentibus auras,
Et cantu formosa tuo iam munus adorna;
Eia age rumpe moras contextam auro atq; argento
Pallam affer, violet conchilis purpura fuco
Oras, splendescat phrigio inde volumine limbus:
Hæc vestis longe populos mira indicet arte,
Hispanæ ditionis agros, fascesq; receptos,
Cum primum deuota aquilas subiere superbas
Imperij, mille hinc inde ambita vrbibus arua,
Gentis, & Hesperiæ lumen visere propinquum:
Littus arenosum Lucrini hic flexibus vndam
Eludat, Cumæq; olim vsq; ad sidera notæ
Nunc inarata, rigens penitus sine nomine tellus
Insideant ponto, lædant nec litore fluctus.
Surgat & Ethereo contingat vertice nubes,
Ignotus nulli vicina sede Vesæuus,
Si lubet, accensas iaculetur ad Ethera flammas.
Hic fortunatis præter laberis inundis
Sebete, & liquidis sulcabis fluctibus arua;
Fortunate amnis, tua si bona noris, inerræ
Æternum, & puro semper voluaris inaluco

Sit formidatus Romanis arcibus olim
Marsus, monticola, & siluis insignis auitis;
Cui vitreas circum blanditur Fucinus vnda;
Mente, ferox promptusq; manu, melioribus ausis
Austriacum malit venerari lumine sydus,
Hesperiumq; decus tutari fortibus armis,
Appulus inde audax, campis operosus apricis
Erret, & intonsi circum campestria montes
Belle obeant agros, vallorumq; aggere cingant.
Accola diuinæ Calaber telluri incerret,
Fortunata colens arua & felicia rura,
Multiplici fuscos vmbratus fronde capillos
Et densas inter valles collesq; beatos,
Mollia serta legat, condatq; hinc dulcia mella,
Inde leues cumulabit cistas rore caduco.
At tibi belle Puer, patris mellita voluptas
Patris ocelle Puer, generis, spes maxima Nate,
Eia age felici magnus quæ nam Insuber ora,
Qua Padus errones trahit aucto gurgite fluctus
Innatat, & crebra late reuolutus in alno,
Alpina rigidus glacie, sed fortibus armis
Clarior, & pinguis fœcundus munere glebæ
Dona feret? belle falcatam proferat harpen
Mercurius qualem quondam vibrabat, acerbo
Funere cum mersit Iouis Imperio excitus, Argum,
Cui fera centena radiabant corpora luce:
Perseus aut qualem conspersit cæde Medusæ.
Aureus hanc capulus gemmatus Iaspide cingat,
Chrisolitis stellata etiam quem lumine crates
Muniat, & capuli radius pallescat in auro;
Hic medio rigidis radient, & arata figuris
Atq;

Atq; incisa notis sulco referantur in Harpes,
Fœlici hæc Puero terræ Domino, Insuber offert:
Munus si paruum est, magni est, tamen omen amoris
Sicælides properate leues in munera Nimphæ,
Ferre meo puero clipeum rutilante metallo
Conspicuum manibus, non enarrabile textum;
Carolus hic sub iura trahat domita agmina ferro,
Atq; ducem armatus miles sectetur ouantem;
Corpora cæsa salo immittis conuulsa tyranni
Sternantur, glomeret gressus spectabilis armis
Rostrisq; insignis Quintus, galeaq; superbus,
Ferre iugum doceat deuicti littoris vndas.
Hic celsa in puppi Princeps sub luce decorus,
Natiua, ventos cernat perflare secundos.
Puppe sub ærata crispetur mobilis vnda,
Et Dominum venerata suum, hinc inde æquore ludat,
Ille triumphato, Tirio visendus in ostro
Orbe, ipsum doceat Neptunum ferre catenas.
Hispano submissa duci sinuosa Carybdis
Infenso sistat crudeles ore latratus,
Et per inoffensas indulgeat ire redire
Cautes, & gelidis tentare Aquilonibus Euros,
Scilla tuens, fremitus resonante coerceat vnda,
Præbeat, & tutum sinuoso tramite cursum,
Sit licet illa ferox, dominum veneretur euntem
Nimbososq; premat frenato murmure fluctus.
Vltima ab Hesperia poscit sibi munera Princeps.
En quid agis? propera terrarum ò fulmen Ibere,
Festina, regemq; tuum bona signa salutis
Omen & Imperij, atq; optati pignus amoris.
Munere festiuo decorat tibi blanda voluptas

Arridet

Arridet Princeps, frontisq; en explicat ignes.
Ergo age fer munus sceptrum; radiantibus auro
Intextis præbe gemmis, sulcata metallo
Ora ducum rigeant hic, Hesperijq; Dynastæ
Qui magnis quondam frenarunt legibus vrbes.
Ferdinande tuos vultus, lucesq; beatas
Hic spectare licet, nexos diademate crines,
Cui mites animos quondam sapientia flexit.
Tu quoque, Tu hic Alphonse, tui spectabis in auro
Cælatum lumen vultus, flammasq; feroces,
Nunc etiam exitium vibrantes lumine terris.
Hic gemini rutilo visentur in ære Philippi
Fortunati ambo, & sæclorum chara voluptas:
Hic orbis terror ferrato crine sonabit
Carolus, infensos generosæ frontis, & hostes
Lumine inire fugam, & ferro iam cedere coget.
Hic pater ipse tuus deuinctus fronde capillos
Expiret decus, & ceruice refulgeat aurea,
Ille tibi seruet Patrijs virtutibus orbem
Augeat Imperium ille suis virtutibus orbis:
Hæc tibi belle puer mundi spes aurea mittit
Munera pro tanti natalis munere Tellus.
Quandoquidem tibi lusus erit tractare sonantes
Nunc clipeos, galeasq; manu, gladiosq; feroces;
Paruula nunc vexilla auris sinuare secundis,
Et dextra imbelli sceptrum tractare per aulas.
Tu cape fœlicis lætus bona munera vitæ
Atq; annis annos, menses & mensibus adde,
Æternumq; regas oblatas orbis habenas,
Gratanti, & referas olim aurea sæcula mundo.

F I N I S.